neribus diſſerit, & inſaniam Herodis furentis demonſtrat; deridetque. Tertius de nece Innocentium tractat; & ad caſtitatem, humilitatem ac patientiam excitat. *col.* 71. 72. 73.

Eiuſdem ſermo ſecundus, in quo de Chriſti manifeſtatione agit, Epiphaniæ Dominicæ rationem reddit; quantum Chriſtiani ex obcæcatione Iudæorum profectum fecerint, patefacit, Iudæos alloquitur & duritiam cordis ipſorum exprobrat, denique vt noſtræ ſaluti per cooperationem & bona opera exemplo Magorum ſtudeamus, hortatur. *col.* 73. 74. 75.

Eiuſdem, ſermo tertius, apparitionis Chriſti cauſam, neceſſitatem ac vtilitatem explicans, & miro modo mirisque conceptibus hiſtoriam adorationis hodiernæ exponens; Vbi etiam data occaſione, de infanticidio Innocentium, & fuga Chriſti in Ægyptum loquitur, *a col.* 76. *ad col* 79.

Eiuſdem, ſermo quartus, cuius œconomia in quinque capita diſtribuitur, in quibus ſanctus Pontifex. I. oſtendit Epiphaniæ celebritatem noſtræ fidei magnum præſidium eſſe, & ideo, maxima deuotione, ac alacritate feriendam, ſanctificandamque. II. teſtimonia varia, quæ Magi habere potuerunt de hac apparitione: (Vbi per tranſennam Herodem turbatum alloquitur.) III. opus ſancti Spiritus in Magos, & vtilitatem maximam, quæ nobis aduenit ex eo, quod magi infantiam Chriſti viderunt. IV. hæreſim Manichæorum aſſerentium corpus Chriſti non eſſe verum corpus humanum ſed phantaſticum detegit, & illos ſacræ ſcripturæ paginas violaſſe, partim quædam verba auferendo, partim quædam inſerendo, accuſat. V. eoſdem hæreticos B. Ioannis Apoſtoli verbis anathemate ferit, illorumque hypocriſim manifeſtat, & pro conuerſione ipſorum docet eſſe orandum cum lachrymis, *à col.* 79. *ad col.* 84.

Eiuſdem, ſermo quintus. Quare Epiphania celebranda ſit, declarat; Hiſtoriam euangelicam allegoricè exponit, ita vt ſtella, gratiam deſignet; Ma-

A giomnes nationes; Herodes, diaboli, Innocentes, renatos & fideles in fidei infantia adhuc viuentes. Iudæos ad reſipiſcentiam inuocat, fideles ad conuerſionem, humilitatem obedientiam, & cooperationem gratiæ diuinæ inuitat & hortatur. *a col.* 84. *ad col.* 88.

Eiuſdem, ſermo ſextus, hiſtoriæ euangelicæ ſenſum allegoricum tradit; diaboli ſicut Herodis inſidiandi rabiem detegit, Eccleſiam Tyrannorum perſecutionibus auctam & dilatatam demonſtrat; quam ſit periculoſa tranquillitas à fauoribus inimicorum Eccleſiæ, indicat, Catholicos ad benè operandum prouocat, oſtendens eos fruſtrà de fidei libertate ſecuros, qui vitiorum deſiderijs non reſiſtunt. *a col.* 88.
B *ad col.* 91.

Eiuſdem, ſermo ſeptimus, agit de infantia ſaluatoris & eius humilitate in quibus fuit à magis inuentus, & quomodo ad eius imitationē pueri & humiles effici debemus, *à columna* 91. *ad col.* 93.

Eiuſdem ſermo octauus, præſentem celebritatem, & ſacramētum huius apparitionis ad omnium fidelium tempora pertinere declarat, non indigna de Chriſti Maieſtate æſtimāda, viſa eius in humanitate humilitate exēplo Magorū comprobat; Poſtremò quibus argumentis & experimentis dignoſcatur, Deum in nobis habitare, innoteſcere facit, & charitatem præcipuum eſſe hu-
C ius rei teſtimonium oſtendit. *a col.* 93. *ad col.* 95.

S. MAXIMI homilia in prima, agit. I. de myſterijs in tribus huiuſce diei apparitionibus deſignatis. II. de perturbatione diaboli, ex Chriſti humilitate, & ſublimitate, & quomodo tunc per incerta & diuerſa diſtractus ſtupore nutabat. III de Iudaica perfidia & cæcitate. IV. de præſentia Chriſti ad nuptias ac de aquæ in vinum conuerſione. *in homil. hyemal. col.* 567.

Eiuſdem, homilia ſecunda varia complectitur. I. nouam ſtellam nouum hominem Chriſtum reuelaſſe, & quomodò Chriſtus dicatur nouus homo. II. Iudæorum duritiam cordis, & mentis excæcationem. III. Magorum reditum